

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Auaricia bc  
cum fonte primo

Auarus nec compacentibus compatitur  
nec miseris subuenit uel miseretur,  
sed offendit Deum, offendit proximum,  
offendit seipsum;  
nam Deo detinet debita,  
proximo denegat necessaria,  
sibi subtrahit opportuna;  
Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis.  
Viro cupido et tenacissimo sine ratione est  
substantia et homini liuido ad quid aurum?  
Qui sibi nequam est cui alii bonus erit?

Non enim proximum suum diligit sicut seipsum  
quem inedia perimit, egestas consumit;  
nec Deum diligit super omnia  
qui Deo prefert aurum, preponit argentum.

Innocencius ibidem (de uilitate condicionis  
humane).

Auarus nec patientibus compatitur  
nec miseris miseretur,  
set offendit Deum, offendit proximum,  
offendit seipsum.  
Nam Deo retinet debita,  
proximo denegat necessaria,  
sibi subtrahit opportuna.  
Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis.  
“Viro cupido et tenaci sine ratione est  
substantia, et homini liuido ad quid aurum?”  
“Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?  
Non iocundabitur in bonis suis.”  
“Qui habet substantiam huius mundi et videt  
fratrem suum necessitatem habere et clausurit  
viscera sua ab eo,  
quomodo caritas Dei manet in ipso?”  
Non enim proximum suum diligit sicut seipsum  
– quem inedia sinit perimi, egestate consumi;  
neque Deum diligit super omnia –  
cui prefert aurum, preponit argentum.

Innocentius III, *De miseria condicionis  
humane*, 2.14 (R.E. Lewis ed., pp.161/163, ll.7-  
22).